

la Logarithmorum quæ sita dabit figuras initiales numeri quæ- CAP. VI.
 siti, quæ erunt 181858. Quanquam ergo iste numerus nullo
 modo exhiberi potest, tamen affirmari potest eum omnino ex
 5050446 figuris constare, atque figuras initiales sex esse 181858,
 quas dextrorsum adhuc 5050440 figuræ sequantur, quarum
 insuper nonnullæ ex majori Logarithmorum canone definiri pos-
 sent, undecim scilicet figuræ initiales erunt 18185852986.

C A P U T V I I.

*De quantitatuum exponentialium ac Logarithmorum
per Series explicatione.*

114. **Q**uia est $a^0 = 1$, atque crescente Exponente ipsius
 a simul valor Potestatis augetur, si quidem a est
 numerus unitate major; sequitur si Exponens infinite parum
 cyphram excedat, Potestatem ipsam quoque infinite parum
 unitatem esse superaturam. Sit ω numerus infinite parvus, seu
 Fractio tam exigua, ut tantum non nihilo sit æqualis, erit
 $a^\omega = 1 + \psi$, existente ψ quoque numero infinite parvo. Ex
 præcedente enim capite constat nisi ψ esset numerus infinite
 parvus, neque ω talem esse posse. Erit ergo vel $\psi = \omega$, vel
 $\psi > \omega$, vel $\psi < \omega$, quæ ratio utique a quantitate litteræ a
 pendebit, quæ cum adhuc sit incognita, ponatur $\psi = k\omega$,
 ita ut sit $a^\omega = 1 + k\omega$; &c, sumta a pro basi Logarithmica,
 erit $\omega = l(1 + k\omega)$.

E X E M P L U M.

Quo clarius appareat, quemadmodum numerus k pendeat a
 basi a , ponamus esse $a = 10$; atque ex tabulis vulgaribus
 quæramus Logarithmum numeri quam minime unitatem supe-
 rantis,